Quod Deus benè vertat!

DISPUTATIO JURIDICA FEUDALIS DE EXCADENTIIS *sive* SUBINFEUDATIONE,

Quam
Consentiente Magnifico, Nobislissimo & Amplissimo JCtorum Jenensium Ordine,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi atq;
Excellentissimi
DN. ZACHARIÆ Prüeschencken/
JCti celeberrimi, Consiliarii Saxonici gravissimi, Pandectarum Professoris meritissimi, inclytæ Facultatis Juridicæ Decani Spectatissimi, Curiæ Provincialis & Scabinatus Assessoris dignissimi; Patroni ac Promotoris sui perpetuo debitæ observantiæ honore prosequendi,

Publico examini proponet
SIGISMUNDUS SIGFRID Reichhelm/
HALL. S.
ad d. Sept. in Audit. JCtorum.

Imperat. Justin. Novella 44. cap. 1. §. 3. Nihil inter homines sic est indubitatum, ut non possit (licet aliquid sit valde justissimum) tamen suscipere quandam solicitam dubitationem.

JENÆ

Cum DEO!

QUod iis, quæ utriusq; contrahentis gratiâ ineuntur, jure concessum est contractibus, ut propter mutuum ex utraq; parte interveniens synallagma, mutuas etiam ultrò citroq; producant obligationes, jura & actiones: hoc idem contractui, quo mediante ususfructus, (qui rectè pactionibus & stipulationibus constituitur) rei immobilis beneficiatæ in accipientem transit, denegatum non erit; cùm perspecta rationis identitas validam quoq; juris dispositionem inducat. Conceditur autem Feudum utriusq;, Domini æq;, atq; Vasalli gratiâ; illius, quando Vasallum sibi ad fidelitatem & obsequium, itemq; ad servitia præstanda tenet obligatum; hujus, quando post gaudium, quod ex beneficio habet, eodem etiam, per modos jure licitos, utitur atq; fruitur, qui & Feudi finis est præcipuus. Effectus etiam, qui cæteris quoq; communis est contractibus, hîc suus cuiq; præsto est, consideraturq; ille tùm quoad *jura*, quæ pro ratione personarum sua cuiq; competunt, tum quoad *actiones*, quæ exinde nascuntur, natæq; more feudali solito proponuntur, propositæ pertractantur. Nobis cũ actionibus Feudi nomine competentibus, ipsoq; judicio feudali, impræsentiarũ nec actio nec judiciũ erit; *de jure* verò paululùm erimꝰ soliciti: Et hoc vires suas exerit tàm respectu *Domini*, quàm *Vasalli*; sed & jura Dominica intacta linquemus, vasallitica saltem ex parte inspecturi, quæ partim quoad *personam Domini*, partim quoad *rem ipsam* in Feudum concessam considerantur; *illa*, ut sunt, quòd Feudo sine causâ privari à Domino nequeat, item quòd eum ad gvarantizandum obligatum habeat. *c. un. pr. de investit. de re aliena facta. 2. F. 8. Joh. Schneid. in Epit. feud. Par. 9. cap. 1. & ibi in addit. lit. a. vers. feudo evicto*, iterùm omittimus: ex his verò, ut sunt, quòd rei feudalis qua-

ſi ſeu utile dominium conſequatur *d. c. §. rei autem.* fructus ſuos faciat & meliorationes deducat. *c. un. § ſi vaſallus. hic finitur lex deinde conſ. 2. F. 28.* feudum refutare poſſit. *c. un. ſub fin. de vaſal. qui contra conſt. Lothar. 2. F. 38.* Subinfeudare. *c. un. §. ſed etiam. verſ. per feudum tamen, per quos fiat inveſtit. 2. F. 3.* ultimum hocce, Subinfeudationem ſcilicet, Bono cum Deo conſiderabimus. Ad cujus materiæ tractationem quo minùs rectâ ſtatim viâ tranſeamꝰ, facit nobis negotium *Franc. Hottom. in Diſp. Feud. cap. 37. & ad §. callidis. de prohibita feudi alien. per* Frid. *2. F. 55.* qui putat jus ſubinfeudandi poſterioribꝰ Imper. Lotharii & Friderici Conſtit. *2. F. 53. & 55.* eſſe ſublatum; quod ſi verum eſſet, inutiliter certè de eo diſputaretur, cùm ejus quod non eſt, nulla quoq; ſit affectio. Quod itaq; omnibus diſputationibus commune eſt & eſſe debet, ut primum ſibi ſemper vendicet locum quæſtio an res ſit, *Ariſtot. de demonſtrat. cap. 1. t. 3.* meritò & nos iſtam præmittimus, affirmativam ut veriſſimam apprehendentes.

II. Fatetur Julius Clarus. *lib. 4. Sentent. §. feudum. q. 32. n. 1.* ſe nō potuiſſe apud Dd. aliquam bonam reperire rationem, quare ſtante generali prohibitione alienationis Feudi, ſit permiſſa ſubinfeudatio, nec ullam ſubeſſe videri cauſam ſpecialitatis ſatis concludentem. Herm. item Vultejus. *lib. 1. de Feudis. cap. 10. n. 85* non putat neceſſarium eſſe, ut curioſiùs in eam rationem inquiratur: veretur etiam, ut ſi ad amuſſim ſubinfeudatio ad rationes prohibitæ alienationis feudi, quæ referuntur *in. c. un. in pr. de prohibita feudi alien. per* Frid. conferatur, illæ non minùs in ſubinfeudatione, quàm in quavis alienatione locum habere deprehendantur; dicit itaq; ſe alicui eam rationem ex ſe interroganti reſponſurum: eſſe hoc ita in conſvetudinibus feudalibus receptum in ſubinfeudatione, in cæteris non item, neq; poſſe omnium quæ jure conſtituta aut conſvetudine recepta ſunt, rationem certam reddi, alioqui fore, ut multa, quæ certa ſunt ſubverterentur. Tametſi ipſe aliter ſub eodem *num. 85. verſ. ſanè.* ſentiat; ſi ulla, *inquiens,* ratio reddi poſſit, eam ex ſubinfeudationis natura deſumendam, quòd feudum per eam non tollatur, ſed confirmetur. quippe quòd ſubfeudum præſupponat feudum, feudum autem domi-

num

num arguat, quæ natura non est cæterarum alienationis specierum. Quæ sanè ratio diversitatis optima est, & quasi coincidit cum illa, quam interim teneri posse dicit, donec melior occurrat, Hartm. Pistor. *lib. 2. quæst. juris. q. 44. n. 2. cum ibi allegatis*, quòd sc. penes primum vasallum jus feudi etiamnum resideat, isq; & vasallus & ad præstanda servitia obligatus maneat. *Rosenth. c. 9. memb. 1. concl. 43. n. 2.* Ita ut expediat protiùs domino subinfeudatio, cùm vasallos immediatos ope subvasallorum subnixos atq; stipatos ad servitia obeunda, eò promptiores & habiliores habeat. *Kobl. cap. 1. n. 3. de subfeud. Zabel. Exerc. feud. 5. Th. 2. lit. c.* adeoq; cesset prohibitæ alienationis ratio: maximè quòd & mediante vasallo, alius ratione ejusdem feudi, iisdem pactis & conditionibus obstringatur, atq; propterea nullam conquerendi justam causam habere videatur dominus superior. *Gl. in §. præterea de capit. Corradi 2. F. 40. Hartm. Pistor. d. l. 2. q. 44. n. 2. Duar. de feudis cap. 12. n. 13.*

III. Nonnulli diversitatis rationem ex eo petunt, quòd subinfeudatio sit quasi quædam donatio, ad quam homines non tàm facilè accedunt, quàm faciles existunt ad vendendum. *Borcb. ad consf. feud. cap. 8. n. 49. in fin. Bl. & Jasonem allegans.* Vix tamen est, ut hoc defendi possit; inquit Vultejus d. l. reclamatq; huic opinioni *c. un. §. donare qualiter olim feud. alien. pot. 2. F. 9.* ubi nullius Curiæ consvetudine feudum donare poterat vasallus, & pugnat hæc ratio cum eo, quod Ulpianus respondit; cui donandi, eidem & vendendi & concedendi jus est. *l. 163. de* R. J. Utut tamen hæc sint, si hæc ratio cum grano salis condita degustetur, non omninò reprehensibilis erit, dum nempe hîc nobis non dè simplici donatione, ut in *d. c. & l.* sermo est, sed, de limitata certisq; requisitis, quæ infra proponentur, circumvallata. Quapropter cùm in subinfeudatione sit donationis, aliqua, quamvis non simplicis, species, quæ non ad lucrum, ut aliæ distractiones, est directa, nec domini conditio ullo modo deteriore fiat, non mirum, si illa à cæteris alienationibus separetur, uti tenet Magnif. p. mem. Arumæus JCtus *in disp. feud. 7. th. 16. in fin.*

IV. Ut autem de contraria, improbante subinfeuda-

tionem opinione, aliquid dicamus, nititur ea aliquibus fundamentis; cujusmodi sunt, quòd vasallus feudum suum utendum fruendum alii concedere prohibeatur. minùs autem esse usumfructum concedere, quàm feudum dare, adeoq; si minùs est prohibitum, etiam id quod magis est permissum non erit: item quòd feudum ob militiæ munus principaliter concedatur, illud autem militiæ munus & jus personæ cohæreat. *l. 3. §. 7. de minoribus:* item quòd dominus feudi & vasallus sint relata, domino autem absq; vasalli consensu non licere feudum ejus alii concedere. *c. un. § si quis, quo temp. mil. invest. pet deb 2. F. 22.* & quæ sunt alia, quæ tamen ut infirma hinc inde ab authoribus FF. subversa deprehenduntur. *Magnif. Dn. Finckeltbaus. disp. feud. 9. Th. 1. l. d. in fin. Bocerus in tract. singul. de modis amitt. feud tract. 3. c. 2. pr. usq; ad. n. 10.* Quin & textus contra subinfeudationem absq; domini consensu factam adducitur ex *c. un. pr. vers. callidis. 2. F. 55.* cui tamen rem planiùs explicando satis facit *c. un. pr. vers. si verò. qualiter olim pot. feud. al 2. F. 9. junct. §. illud pen. d. c. 2. F. 55.* quos textus de subfeudatione solùm consensu domini facta exaudire, satis durum videtur. *Zabel. Exerc. feud. 5. Th. 2. l. c. in pr. & Bocerus d. l. n. 11.*

V. Quòd autem uti olim, ita & hodiè Vasallus feudum suum alii in feudum dare & concedere possit, passim J F. testantur textus, veluti, *c. un. §. sed etiam. vers. per feud* ibi; per feudum tamen cuilibet rectè dari potest. *per quos fiat invest. 2 F. 3. c. un. pr. vers si verò.* ibi; si vel totum vel partem, volebat per feudum aliquem subinvestire, hoc licebat ei. *& iterum ibid.* quod ipsum hodiè syncerè licebat ei facere. *qualiter olim feudum pot. al. 2. F. 9. c. un. §. Beneficium*, ibi, Beneficium à vasallo in feudum rectè dari potest. *si de feud. def. cont. [illegible] dom. & V. 2. F. 26. c. un. §. similiter. in pr.* ibi, in feudum tamen rectè dabit. *de Lege Corradi 2. F. 24. & c. un. §. Insuper vers. illud quoq;*, ibi, si vasallus de feudo suo alium vasallum habuerit. *de prohib. feudi alien. per Fried. 2. F. 55.* Lehnrecht *cap. 7. & Gloss. ibid. n. 5. & 6. cap. 8. ibiq; Zobell. in notis lit. b* nec non rationibus stringentibus fulcitæ FForũ authoritates: quodq; subinfeudatio uti vetustis, ita & nostris moribus recepta sit, ex Zasio *de feudis part. 9. num. 15. vers. 2. fallit.* testatur Julius

lius Clarus *recept. sent. lib. 4. §. feudum. q. 32. n. 1.* quod idem & Vultejus facit *d. lib. 1. c. 10. n. 79. in fin.* Cùm itaq; tàm per textus, quàm rationes de Subinfeudatione certi simus; consequens nunc est, ut videamus, quid ea sit: quæstionem enim an sit, sequitur quæstio quid sit. *Arist. d. l.* quidq; ulteriùs circa eam considerandum & notandum veniat.

VI. Est verò *Subinfeudatio Vasalli de feudo suo alii facta concessio.* A plerisq; hunc in modum definitur; quòd sit actus, quo Vasallus feudum, quod habet vel totum, vel aliquam ejus partem, alii in feudum legitimè concedit. Facilè cuivis obviam erit compositi hujus nominis derivatio, & sine dubio eo modo dici cœpit, quo subdelegatio, subordinatio vel substitutio; (quamvis non æq; promiscuè dicatur substitutio & subinstitutio, atq; dicitur subfeudatio & subinfeudatio) quemadmodum enim illa est secundi heredis institutio *l. 43. §. 2. de Vulg. & Pup. Sub.* ita & hæc est secundi vasalli infeudatio, licet ulteriori gradu fiat aliquando: sic enim & nuptias secundas dicimus omnes, quæ post primas celebrantur, notante *Bachov. in Comment. ad Inst. de vulg. subst. in pr.* Utut autem in textibus juris feudalis, quantum scio, nec subfeudi nec subinfeudationis nomen reperiatur, JCti tamen Feudistæ, rebus inventis, huncce loquendi modum melioris doctrinæ gratiâ introduxerunt. Atq; hinc est, quòd & illa similem in modum dici cœperunt; subfeudum, subinfeudans, subinvestiens, subvasallus, subfeudatarius, subinvestitura, subbeneficiarius &c. Sæpiùs etiam authores feudū hoc vocant excadentias, *Andr. de Isernia ad si inter. 2. c. 16. F. n. 10. in fine. & c. Imperialem. 2. F. 55. n. 8. in fine* quod à Siculis cœpisse fieri dicitur, fortè quòd feuda illa ex uno in alium aut extra ordinem cadant sive excedant. Et horum authorum authoritate nixus, hoc vocabulo pro inscriptione usus sum. Germanis dicitur Afftterlehn / zum Afftterlehn ansetzen / in vocabulario vocabulorum saxonicorum antiquorum dicitur, Afftterlehn heist daß ein Mann förder von seinem Lehn / damit er von seinem Herrn belehnet ist / einem andern leihet. Quid autem antiqua illa particula affter importet, aliàs notum est. *Vid. Wilhelmus*

Mat-

Antonii in addit. ad cap. I. Koblii de subf. n. 20. & ejusdem appendix ad Tract. de subf. Glossa in Lehnrecht *cap. 7. n. 5.*

VII. Dicitur *concessio*, sive actus per quem conceditur, seu concessivus; quia non omne jus transfert subinfeudans ad suum vasallum, sed nihilominus jus & Dominium quoddam, quo & ipse suo domino devinctus est & manet, subvasallumq; sibi obligatum habet, retinet. Hartm. Pistor. *l. 2. q. 45. n. 22.* quo modo differt à cessione; Et hæc concessio necessariò prærequirit & præsupponit Vasallum cum suo feudo, Lehnrecht *cap. 25. in verbis.* denn es kan kein Herr. etc. *& Gloß. in. cap. 20. n. 5. & ultimo.* adeò ut quamprimum ille feudum suum per investituram habeat, vasallusq; esse cœperit, tunc etiam actum hunc subinfeudationis per concessionem exercere possit; derivatur enim illa à principali infeudatione, sicut aqua à suo fonte *Bl. in c. un. de capit. qui curt. vend.* estq; membrum & pars integralis feudi principalis. *Menoch. Cons. 148. n. 14.* ac si qua est diversitas, hæret illa in personis. *n. 49. & seqq.* quo ad rem ipsam v. quod attinet à feudo diversam quid aut separatum nõ est. *Cagnol. in l. consilii. §. socii. de R. J.* quin potiùs retinet naturam sui principalis iisdemq; regulis consistit. *Zabell d. Exerc. feud. 5. concl. 1. pr.* Datur autem feudum alii, qui subvallus dicitur, quemadmodum & illud feudum, quod ipse habet subfeudum vocatur; appellatur item vasallus minor, subalternus, secundus, Afterlehnmann. Quin nec solùm vasall9 feudum suum alii dat, sed & secundus tertio in infinitum concedere potest. *c. un. §. similiter. ibi,* & hoc dare liceat in infinitum. *de lege Corradi. 2. F. 34. Glossa in* Lehnrecht. *cap. 7. n. 6. §.* Entweder. *& cap. 25. in medio, ibiq; Zobel. in notis. lit k* Qualis verò ille alius, esse debeat, ut sit talis, qui feudo servire possit, patebit ex subsequentibus.

VIII. Subinfeudatio alia est *totalis*, alia *partialis*; ita ut non referat, sive totam sive partem feudi quotam, puta dimidiam aut tertiam subinfeudet. *c. un. §. si vero, qualiter olim poterat feudum al. 2. F. 9. Borch. cap. 8. n. 49. Vult. d. l. n. 80* & hoc quidem quoad feudum non regale videtur expeditum esse; omnis enim alia dubitatio est de regali; verùm & de hoc etiam affirmaverim subinfeudari posse, eundem tamen digni-

dignitatis gradum obtinenti, puta ducatum Duci, Marchiá Marchioni &c. sub generali enim dispositione comprehenduntur, quæ speciali nota non indigent. Nec ad rem pertinet, Imperatori in regalis feudi subinfeudatione sine consensu ejus facta fieri præjudicium; cùm adsit consensus legis permittentis eam, nec subinfeudans de Marchionatu Comitatu, desinat esse Marchio & Comes, adserente. *Bal. in auth. & qui jurat num. 21. C. de bonis author. judic. possid. Rosenthall. cap. 6. concl. 63. n. 1. & cap. 9. concl. 44. n. 10. Hunn. in tract. feud. cap 12. quæst. 9. Dissent. Schrad. Tract. feud. part. 4. cap. 1. n. 52. Bocerus d. tract. sing. 2. n. 17. Kobl. de subf. cap. 2. n. 9* quorum quisq; plures in hanc negativam sententiam allegat. Cæterùm in feudis regalibus particularium quoq; bonorum subinfeudatio est licita, quatenus tamen etiam sine ejus dispendio fiat, dignitatiq; subinfeudantis sustinendæ tuendæq; non officiat; aliàs ratio quæ divisionem feudi regalis prohibet *d. c. un. §. præter. 2. F. 55.* subinfeudationem quoq; dissvadebit. Licet enim per subinfeudationem particularium rerum nulla fiat divisio, cùm partes illæ subinfeudantis remaneant, etiam à subvasallis possessæ; tamen ne feuda illustria ullo modo detrimentum capiant, aut magnificis destituantur sumtibus, prospiciendum, erit: tacite enim cautum censetur, quod eadem svadet ratio. *Schrad. p. 4. c. 1. n. 53. Rosenth. de feud. c. 9. concl. 45. n. 4. plures allegans.*

IX. Præterea istas feudorum divisiones, secundùm quas aliud est proprium seu rectum, & improprium seu non rectum, aliud seculare & Ecclesiasticum, aliud regale & non regale, aliud masculinum & fœmininum, aliud ligium & non ligium, aliud novum & antiqvum &c. etiam subinfeudationi communes esse non dubitaverim; retinet enim subfeudum naturam sui principalis feudi, juxta *Castrens. cons. 146. col. 1. fol. 2.*

X. Porrò *materia* subfeudationis est feudum ipsum in re immobili, aut immobilibus annumerari solitâ, consistens. Etenim quia hoc necessariò requiritur in feudo. *c. un. in fin. de feudi cognitione 2. F. 1.* subinfeudatio tanquam consequens ejus subsistere non poterit, non stante antecedente, & unde rivi derivatio, fonte nô scaturiente. Quemadmo-

admodum igitur deficiente infeudatione, deficit & subfeudatio; ita posita illa, ponitur & hæc: quod tamen ultimum suum perdere officium videri poterat in feudo Ecclesiastico, quòd sc. Ecclesiæ vasallo non integrum sit, de feudo suo absq; permissu alium subinvestire? Verùm utut in feudorum libris nullus specialis textus de ejusmodi feudi subinfeudatione occurrat, vel favore quodam Ecclesiæ illa Vasallo interdicta esse videri poterat, vel etiam Baldus & alii authoritatem hîc suam interponant *c. un. §. pater. n. 1. de capitulis Corradi 2. F. 40.* licitè tamen etiam ejusmodi subinfeudationem exerceri posse dicendum erit; tum quod placita feudorum ita generaliter disponentia, non distinguant inter id feudum quod ad Ecclesiam & quod ad Seculum spectat, tum quòd quoties in J. Canonico contrarium dispositum non reperiatur, juris communis feudalis constitutiones sequi soleamus. *Schrad. part. 8. c. 2. num. 11. allegans Petrum de Anchona Consf. 174. n. 1. Curt. Jun. in tract. feud. part. 4. n. 83.* Deinde habet & hoc subinfeudatio isthæc cum aliis commune, quòd æquè nullum Ecclesiæ per eam inferatur incommodum, sed conditio ejus melior reddatur, cùm novum quodammodo adquirat Vasallum, subinvestiens q; adhuc obligatus maneat. Atq; hanc communem esse testantur DD. & veriorem *Schrad. d. l. Vult. lib. 1. c. 10. n. 80.* itemq; *Rosent. c. 9. membr. 1. concl. 45. n. 6. & in addit. lit. c.* Major dubitatio est de eo, an laicus canonicè ab Ecclesia de decimis investitus, feudum suum decimale absq; Prælati consensu, aliis per subinfeudationem concedere possit? Negat id *Schrad. d. p. 8. c. 2. n. 17.* pluresq; alios in suam adducit sententiam ubi eosdem allegat, nec tamen ita simpliciter, sed eo casu licitam etiam esse contendens, quando vasallus de hoc feudo aliam investit Ecclesiam *c. cum apost. 7. & ibi Abb. de his quæ fiunt à præl. sine cons. cap.* Verùm ajens opinio, vel etiam extra prædictum casum, verior videtur, non solùm, quod genus vi comprehensivâ omnes suas species includat, & generalia generaliter intelligi debeant. *Everh. in top.* sed etiam quòd subinfeudatio semper sit de natura feudi, nec etiam sufficienter concludens ratio specialitatis in decimali feudo dari possit, cùm ratio prohibitionis,

ne tar-

ne tardiùs & difficiliùs decimæ ad Ecclesiam revertantur, cesset, quia resoluto jure datoris, resolvitur jus acceptoris, & ratio permissionis, ut eò promtiùs Ecclesia contra oppressores & hostes suos defendatur, non minùs subinfeudatione interveniente, adhuc duret. Laudant & seqvuntur hanc sententiam ceu veriorem, *Rosentb. Tr. de feudis. c.4. concl. 28. n. 1. 4. & 5. Bocerus d. l.* non obstante, quòd decimæ cum periculo animarum à laicis teneantur, in aliosq; aliquo modo transferri prohibeantur *c. prohibemus de Decimis, prim. & obl.*

XI. Excipiunt etiam nõnulli ab apta subinfeudandi materia feudum, quod Vasallus quoquo modo in Curte Domini habet, vel etiam extra Curtem, eo casu quo Dominus in feudo sibi districtum vel honorem reservavit *Curt. p.4. n.84. Schrad. p. 8. c. 2. n. 18.* & nituntur textu. *c. un § fin. quibus modis feud. amit. 1. F. 6.* in quo disponitur, quòd licet Vasallus partem dimidiam sine Domini voluntate libellario nomine dare potuerit, tamen isthæc licentia cessaverit in medietate feudi, quod habuerit in Curte Domini, vel ubi districtum sibi reservavit Dominus; putant hinc inferendum, quòd quamvis ex novis legibus feudalibus hodiè ubicunq; locorum, nec pars media absq; Domini consensu alienari possit, rationem tamen veteris illius juris, quare concessa medietatis alienatione, tamen non potuerit feudum quod in Curte Domini quis habuit alienari, adhuc stare, proindeq; nec hodiè subinfeudationem absq; Domini consensu licitè fieri, in feudo quod in Curte Domini habetur. Verùm standum hic iterùm regulæ, quæ ex prædictorum text. *2. Feud. 3. 9. 26. & 34.* generalitate extruitur, donec exceptio dilucidè & liquidò probetur de feudo, quod est in Curte Domini. Et hoc rectè subinfeudari posse, docet etiam *Rosent. c. 9. membr. 1. concl. 46 n. 5. 6. & 7.* tam rationibus quam experientiâ hoc evincens. Nec etiam ulla est ratio, cur non æq; feudum in Domini, quàm aliena Curte per subinfeudationem, alii cõcedere possit Vasallus; maximè cum nullum præjudicium Domino exinde oriatur; & alienatione prohibitâ, non prohibeatur subinfeudatio, alioquin esset illatio à disparatis speciebus vitiosa *Bocerus d. l. n. 128. cum aliis ibid.*

XII. Quamvis autem jus hoc subinfeudationis satis pin-

gve per jura feudalia vasallo concessum sit; æquitatis tamē rationem etiam respectu Domini, ne sc. ex nimia Vasalli licentia aliquid injuriæ ipsi inferatur, observanter habuerunt, tribus eam limitibus ac regulis includentes, quæ omninò subinfeudationi ita *esse suum* dant, ut his supergressis minùsq; solenniter observatis, subinfeudationis legitimæ nomine gaudere non possit ea, in qua unum ex hisce desiderari queat. Requiritur verò ut hæc tria copulativè concurrant: I. ut fiat subinfeudatio syncerè & sine fraude. *c.un.* §.*1. vers. per. feud. ibi*; nisi fiat in fraudem, *per quos fiat investit. 2. F. 3. c. un.* §.*si vero. ibi*; syncerè & sine fraude licet. *qualiter olim pot. feud. alien. 2. F. 9. c. un.* §. *beneficium. ibi*; si nihil in fraudem legis fiat, *si de feud. defuncti content. 2. F. 26.* II. Ut concedatur feudum ei, qui est similis qualitatis & conditionis. *d.* §. *beneficium. ibi*; dum tamen militi detur, *c. un.* §. *similiter. ibi*; si secunda persona sit talis, quæ feudo servire possit, & ille, qui accipit miles inveniatur, *de Lege Corradi 2. F. 34.* III. Ut concedatur sub iisdem legibus & pactis, conditionumq; qualitatibus, quibus ipse subinfeudans vasallus à suo Domino illud accepit. *d.* §. *similiter vers. profecto.* ibi; non debet alia lege dare, nisi quâ ipse habet. Atq; hæc tria unanimiter conjungunt Feudistæ, uti hinc inde ex eorum patescit commentariis.

XIII. Ex his primum illud, quòd subinfeudatio syncerè & sine fraude fieri debeat, videbatur sufficere posse, ad cohibendam subinfeudationis licentiam; reliqua enim duo quasi sub se comprehendit, & uti forte is qui honestè vivit, neminem lædit suumq; cuiq; tribuit; ita etiam qui sine fraude subinfeudat, non videtur aliam personam infeudando, deteriorem facere conditionem domini, vel alia lege atq; ipse habuit alteri feudum concedere: verùm rectè & non sine ratione numerus iste retinebitur. Primum enim requisitum pertinet quasi ad vasallum ejusq; licentiam constringit; reliqua duo ad Dominum, cùm ei prospicitur, ne conditio ejus sive per aliam personam, sive per aliam legem deterioretur: vel potiùs ita; ut primum spectet ad vasallum, secundum ad subvasallum, quia requiritur, ut sit miles ad serviendum aptus; tertium ad Dominū, ut sci-

ut ſcilicet tenor prioris inveſtituræ ſuæ legibus, certisq; conditionibus munitus, etiam in ſubinfeudatione ſartus rectusq; retineatur.

XIV. Synceritas autem in eo eſt, ut illud ipſum, quod agitur, etiam licitè & validè factum ſit, atq; ita fraudi contraponitur; cujus cauſa interveniente, contractus ipſo jure quaſi pereunt. Non itaq; licebit etiam ſub colore, & prætextu licitæ ſubinfeudationis contractum aliquem alienationis celebrare; callidis enim ejusmodi machinationibus pœnâ, Imperatoriâ authoritate obviatur. *c.un. pr. verſ. callidu de prohib. feud. alien. per Frid. 2. F. 55.* Ubi non incommodè quæritur; utrum illa ſubinfeudatio quæ mediante & interveniente pecuniâ fit, nomine callidæ machinationis, aut ſuſpectæ fraudis veniat? Diſtingvunt alii inter precium palàm & occultè à ſubinfeudando datum, autumantes, poſteriori modo præſumi fraudem, priori non æq; : Alii inter quantitatem precii; ut putent, nō præſumi fraudem ſi precium juſti valoris medietatem non excedat; ſecus verò, ſi excedat. Quamvis verò diſtinctiones iſtæ ſint optimæ, non tamen ſufficit præſumere fraudem, ſed & neceſſe eſt, ut ſciamus, quando quis verè in fraude eſſe deprehendatur, adeoq; videndum erit & illud, utrum etiam ſubinfeudans, non attentâ precii acceptione, adhuc maneat prioris ſui domini vaſallus, fiatq; verus dominus ſui vaſalli, item an & ille ſubvaſallus, qui precium dedit, nihilominus ſeſe ut fidelem vaſallum gerat, requiſitusq; in ſubſidium etiam ſuperiori domino ſerviat, ſine exceptione oneroſi emtionis tituli; quod ſi fiat, nihil intererit interveniſſe precium, vel gratis ſubinfeudationem factam eſſe, ceſſante ſic deterioratione conditionis domini. Quin illud, quod ita datur & accipitur, non rectè proprio ſuo nomine precium, ſed alia aliqua liberalitas vocabitur: id enim nominis venditionibus principaliter commune eſt. Sed & præter text. *c. un. §. ſed etiam, verſ. per feud. per quos fiat inveſtit. 2. F. 3.* ex quo palàm eſt, non nudam acceptionem precii cauſare ſubinfeudationis nullitatem, ſed requiri adhuc aliud quid concurrens, quod callidam machinationem importet. item *c. un. § ult. de his qui feuda dar. poſſ. 1. F. 1. c. un. de natura feudi. 1. F. 7.*

F. 7. ubi feudum non dicitur revocari nisi precio, si quod datum sit, restituto; dictus § *callidis. 2. F. 55.* illam demum precii acceptionem prohibet, quæ ita est fraudulosa, ut per eam feudum vendatur, qualis certè non est, quando subinfeudans sua sibi jura reservat; nec Vasallus pro emtore possidet. Præterea & fraus tunc proprie fieri censetur, quando permissum simulatur, reverâ tamen prohibitum peragitur. *Gloss. in d. c. Beneficium, vers. dum tamen ibid. Isernia Jacob. de Belvis in c. 1. §. præterea de capit. Corradi. Vultejus d. l. 1. c. 10. n. 82. Kobl c. 2. n. 52. & seqq. Diss. Schrad. p. 8. c. 2. n. 15.* qui gratis eam fieri debere dicit: *Hartm. Pist. quæst. 44. n. 15.* qui subinfeudationem pro precio factam non valere communiter tradere DD. asserit: putarem tamen & ipsum hoc accipere de precio fraudulento, allegantē *d. §. callidis. Bocerus d. l. n. 13. & seqq.*

XV. Ulteriùs quoq; sinceritas in eo spectatur, ne fiat subinfeudatio in fraudem domini; quod fieri quibusdam visum fuit interpretibus, quos cum *glos.* recenset *Hartm. Pist. d. q. 44. n. 5.* quando Vasallus fortè castratus esset, vel ad tantā ætatē pervenisset, ut successores feudi ampliùs se habiturū desperet. Quæ opinio inde promanavit, quia præsupponebatur, dominū, ejusmodi subinfeudatū post mortem subinfeudantis pro vasallo habere teneri; qua de re infra: Videat. interim *Rosent. c. 9. membr. 1 concl. 45. n. 1. & 2.* Verùm nihil hic sub tali infeudatione latitare fraudis videtur; quemadmodum enim Vasallo adhuc in vivis existente, dominus ipsum prohibere non potest, quo minùs alium legitimè subinfeudet, ita quoq; vasallo mortuo dominus liberè potest feudum revocare, nec tenetur illum habere vasallum, quem vasallus suus habuit vasallum; resoluto enim jure datoris solvitur & jus acceptoris. *arg. l. 7. de act. emti & vend. l. 31. de pign. Pist. d. l. Rosent. c. 9 concl. 56. Schrad d. l. n. 10.* Deinde etiam, ne fiat in fraudem agnatorum, adeoq; si feudum sit antiqvum, nihil obstat, quo minùs id revocent; quia jus ipsis per acquirentem primò quæsitum, per vasallum possessorem, in alium subinfeudatione transferendo, auferri nequit.

XVI. Secundum requisitum fuit, ut feudum ejusdem qualitatis personæ detur *d. l. 2. F. 26. & 34.* Clerico itaq;, fœminæ,

minæ, cœco, surdo, muto aut aliter imperfecto, non rectè conceditur. Qualitas autem ista personæ quæ desideratur, quàm latè sese extendere debeat, num in omnibus omninò & per omnia æqualitas servanda, nondum certò constat? Illud equidem ex prædictis juris textibus expeditum jam esse videtur, ut secunda illa persona subinfeudata sit talis, quæ feudo similiter servire possit atq; prima; de honore, dignitate, & divitiis verò quæritur, num & paritas quoad hæc servanda? & hoc velle videtur, Schrad. *p. 8. c. 2. n. 13. vers. secundo ut vasallus*; ubi dicit: quod vasallus feudum concedere non possit, nisi majori vel æquali, & non inferiori. *d. §. similiter*: Alii dicunt, quòd sufficiat hîc observare habilitatem paritatis servitiorum, non ut, earundem divitiarum ejusdem dignitatis, aut potentiæ cum vasallo esse, requiratur. Sanè ad textus si recurrimus, utiq; deprehendimus, eos requirere honorem; requirunt enim præcisè militem. *d. c. benef. 2. F. 26. ibi*: dum tamen militi detur. *& d. §. similiter. 2. F. 34.* quia autem honor militaris propter diversitatem expediendorum officiorum, diversus quoq; est, nō sufficit ut sciamus honorem requiri, sed an & circa illum æqualitas retinenda? Id quod non adeò præcisè observari debere putarem, cùm de tali stricta observantia placita feudalia non modò taceant, sed & inferiores admittere videantur, uti patet ex. *c. un. §. notandum est. 1. F. 1.* Deinde subinfeudatio tamdiu licita esse & stare posse putatur, donec prohibeatur; à regula autem hac noluisse Feudistas excipere talem in inferiorem factam subinfeudationem, colligi potest ex eo, quòd de aliis exceptionibus & limitationibus satis soliciti, hanc præterierint: & constat dispositionem quamlibet esse intelligendam secundum rationes expressas & tacitè præsumtas. Videmus verò. *d. §. similiter* expresse servitiorum mentionem facere, & reliquos text9 illa includere Nec & Dominus habet, quod conqueratur; siquidem primus ille vasallus æq; vasallus permanet post subinfeudationem, atq; fuit ante eam, à quo quando servitia desiderantur, statim ad subvasalli servitia regressum habet. Et hæc etiam ratio est, quare ejusdem qualitatis & conditionis esse requiratur; non illa, quam alii adsignant, quod

quod dominus superior eo casu, quo feudum ad ipsum reverti contigerit, subvasallum etiam contradicens retinere teneatur; quæ certè stare non potest: *Hart. Pist. d. q. 44. n. 6.*

XVII. Quod si verò interesse suum Dominus prætendat, dignitatiq; suæ præjudicium fieri ostendere, aut Vasallum suum per subinfeudationem talem, se honore aliquo defraudare velle probare possit; utiq; tali locus relinqui non poterit, cùm non habeat illud in memoria quod honestum est h. e. quæ ad honestatem domini sui pertinere videntur. *c. un. pr. de forma fidel. 2. F. 6.* Cæterùm si magis idoneus, si ditior & dignior Vasallo subvasallus sit, tanto meliùs utiliusq; hoc fuerit domino: videtur enim ita conditionem ejusdem meliorem facere. *c. un. §. è contrario vers. meliorem namq; 2. F. 8. c. un. § illud pen. 2. F. 55. ibi not. Gottofr.* Potentiori autem, qui fortè ex insolentia debita recusaturus metuitur, subfeudum concedere, nec consultum erit neq; indultum. *Rosent. c. 9. concl. 44. n. 5.*

XVIII. Tertium validæ subinfeudationis requisitum fuit, quod non debeat aliâ lege dari, nisi qua ipse habeat. *d. §. similiter vers. profectò 2. F. 24.* quod exemplo ita declarari potest: quando Vasallus feudum habet pro se & suis heredibus masculis, tunc illud concedere non potest, ut habeat subvasallus ipse cum suis heredibus masculis & fœminis; vel si habeat pro certis servitiis, non potest alium subinvestire hâc lege, ut à præstandis servitiis liber esse debeat. Quod si contigerit, ut in dubio versemur, fortè si vasallus aliquem subinvestiat simpliciter, nullâ lege pactoq; expresso addito, præsumitur in dubio secundùm eundem prioris investituræ tenorem esse eam factam, uti volunt DD. communiter quos allegat *Rosenthal c. 9. memb. 1. concl. 43. n. 4. in addit. sub l. h.* Si ergo Vasallus Feudum suum in quo solus succedit primogenitus, alii per subinfeudationem simpliciter concedat in feudum, tunc ita datum intelligitur, ut subvasalli etiam filius primogenitus solùm succedat. *uti consuluisse fertur Decius Cons. 389. n. 7. quem sequitur Rosenth. d. l.* Cujus præsumtionis veritas probari potest *ex c. un. §. item ead. lege. de notis feudorum 2. F. 58.* ubi eâdem lege & eodem jure debet habere qui investitus est, rem, quam

habe-

habet, et qui eum investivit, junctâ ratione, quia prima causa & effectus feudi in subinfeudatos influit: derivatur enim illud à principali, ut aqua ex suo fonte, uti dixit *Bl.* In dubio itaq; erit præsumtio pro investituræ secundæ convenientia cum primâ; adeò, ut affirmanti contrarium probationis onus incumbat *Vultejus d. l. 1. c. 10. n. 83. Menoch. cons. 148. n. 19.* ostendens *à n. 41. usq; 47.* quando nam subfeudum eodem modo dici possit esse concessum, quo datum est principale. *Rosent. c. 9. concl. 43. n. 4.*

XIX. Tantâ autem cum religione observari voluerunt tertium hoc requisitum jura feudalia; ut aliter datum feudum amitti & ad Dominum reverti voluerint. *d. §. profecto. 2. F. 34.* Sed quando illa amissio locum habere debeat, de eo, vel inter ipos FF. initiò nō constitit. Tres enim de eâ controversiá proponuntur opiniones *in f. d. §.* Prima est, quòd aliâ lege investiens, eo ipso beneficium amittat; altera, quòd ambo, subinvestiens & subinvestitus perdant: tertia, quòd aperiatur demum in casum existentiæ illicitæ conditionis. Sanè præterquam quòd nobis ita dubiè quasi decisa hæc relicta sint; maxima tamen cura & solicitudo in decidendis ejusmodi dubiis quæstionibus, per hæc ipsa proditur, non in unius statim acquiescentium elogio; legimus enim inter sapientes sæpè disputatum esse. *2. F. 17.* & quemadmodum dubium non est, per unam ex his sententiam litem esse decisam, ita quidem adhuc dubitatur, quænam illa fuerit. Etsi verò juris feudalis auctoribus in more positum sit, ut plures aliquando recensentes opiniones improbare soleant eam, quæ ultimo posita est loco, uti docet *Hartm. Pistor. l. 2. q. 25. n. 30. & q. 32. n. 2. per. c. un. de eo qui sibi & heredibus suis. 2. F. 17. & 2. F. 36.* hoc tamen perpetuum non esse, alii textus demonstrant. *c. un. §. 1. de successione feudi 1. F. 8. & 1. F. 1.* quibus & hunc nostrū putaverim esse similem; ita ut rejectis prioribus duabus opinionibus, ultimam pro decisione esse voluerint sententiam: facilè enim videre poterant eam esse æquiorem & humaniorem, quæ sæpissimè in jure attenditur, cùm domino, in cujus gratiam tertium hoc requisitum erat adinventum, nihil damni aut præjudicii ante eventum ca-

 sus

ſus illiciti exurgere potuerit. Si enim ille feudum dedit pro maſculis, vel pro certis ſervitiis tantùm, Vaſallus autem illud alteri concedit pro maſculis & fœminis, vel ſine ſervitiis, tunc demum ſi fœminæ adfuerint, vel ſervitia denegata ſint, ſuum prætendere poteſt incommodum, non ante: quin etiam utile per inutile vitiari non debet. *c. utile. de R. J in 6to.* & conditiones improbæ pro non adjectis habentur. *l. 14. de condit. inſtit. l. 20. de condit. & demonſt.* Quoties etiam ampliùs eſt promiſſum, quàm promitti debuit, non tota concidit obligatio, ſed id quod ſuperfluum eſt duntaxat infirmatur. *l. 11. & 12 ff. de conſt. pecunia.* nec pœna delicto major eſſe, ſed delicto commenſurari debet. *c 2. de his quæ fiunt à maj. part. c. felicis. §. illud. de pœnis in 6to.* Et præter cæteras, quæ dari poſſunt plures rationes, non deeſt etiam ad ſtabiliendam hanc ſententiā, fides atq; authoritas multorum J. feudalis commentatorum, quos refert & ſequitur *Kohl cap. 2. n. 25. de ſubſ.*

XX. Ampliùs, quia præcisè tenorem inveſtituræ prioris tenendum in ſubinfeudatione diximus, non impertinenter quæritur; num & tunc dici poſſit vaſallus eum ſervaſſe, ſi in inveſtiturā, quā ipſe feudū accepit, expreſsè convenerit, ne feudum alienaret, & tamen ille nihilominus alium de feudo hoc inveſtiverit? Et quamvis negativa hujus quæſtionis, communiter dicatur communis; non tamen ea omnibus communis eſt, affirmativamq; confirmat ſententiam, quòd prohibitio ſit de alienatione feudi, ſubinfeudatio autem non ſit alienatio, adeoq; illatio ab hâc ad illam, ſit vitioſa. Neq; hoc eſt infrequens, ea etiam, quæ jure jam ſunt definita, in contractu adhuc exprimere, ut negotium omni ſui parte tantò ſit tutius, quippe & legis & hominis voluntate id moderante; nec rarum eſt, ut in contractibus quædam abundent magis, quàm ut ſint neceſſaria. *Vultejus d. c. 10. n. 86.* ut ita proviſio hominis cum legis proviſione concurrat: Quid? prohibita alienatio illud minimùm operatur, ut Vaſallus absq; domini conſenſu nec illo caſu poſſit alienare feudum, quo aliàs id ei facere permiſſum videbatur; imò & hoc nō attento, actus agentium

præ-

præter eorum intentionem nihil solent operari: intentionem autem alicujus necesse est ut hauriamus ex mente, quam per verba nobis aperit. Dicit quidem. *Hartm. Pistor. d. l. 2. q. 44. n. 30.* communiter hæc ita declarari, ut nō licita sit subinfeudatio in tali casu; calculum ipse tamen suum nō adjicit, monetq; magis hoc ita disputari solere, quàm ut certi quippiam definiat. *n. 31. Dissent. Curtius in tract. feud. p. 4. n. 84. cum Schradero d. p. 8. c. 2. n. 20. plures allegante. Kobl. c. 3. n. 2. cum addit. lit. a. n. 19.*

XXI. Non solùm etiam ab initio iisdem pactis & legibus subinvestire necesse habet vasallus, sed & ut in illis obtinendis persistat oportet; remittendo enim aliquid post subinfeudationem propter fraudem, æq; privabitur feudo, atq; si ab initio requisito huic non paruisset, ne quod unâ viâ prohibetur, aliâ iterum permittatur. *arg. l. 38. de bonis libert. c. cum quid. de R. J. in. 6to. Schrad. d. p. 8. c. 2. n. 13.*

XXII. Quamvis verò præcisè requiri tenorem prioris investituræ dictum hactenus; hoc tamen ita intelligendū erit, ne ab eo recedendo liberiùs & remissiùs obligetur subvasallus, atq; obstrictus fuit vasallus. Fallentiam enim hoc patitur, si modo arctiori subinvestiatur: nulla enim juris constitutione aut consvetudine, ususq; longævi observantiâ, vasallum arctiori, quàm ipse habeat lege, feudum in alium ubilibet transferre posse prohibitum est *2. F. 108.* Quod *cap.* si fortè authoritate destituatur, valeat, quod ratione juri feudali non contrariâ muniatur; dum per hunc modum, domini conditio, ad quam principaliter respicitur, deterior non reddatur, licitumq; cuiq;, sine alterius injuriâ suam conditionem facere meliorem. Fallit etiam, si dominus ipse hoc fieri voluerit, vel expresśe permiserit licentiam suo Vasallo, vel connivendo tacuerit, dum poterat contradicendo, quo minùs fieret impedire; quilibet enim favori suo, cùm nec alterius intersit, renunciare poterit. Et deniq; si statuto vel consvetudine contrarium cautum vel introductum sit. *Schrad. d. p. 8. c. 2. n. 19.*

XXIII. De *Personis* nunc videamus, ad subinfeudationem pertinentibus: quarum aliæ sunt à quibus fieri possit,

aliæ quibus fiat; illæ necessariò ita feudi capaces requiruntur, ut titulo Vasalli jam plenè gaudeant; subvasallus enim prærequirit vasallum. Quemadmodum autem ad priorem infeudationem requiritur ut persona infeudans liberam habeat rerum suarum administrationem; ita quoq; ad secundam requiritur, ut Vasallus subinfeudaturus, tàm quoad hoc, quàm quoad alia priorem imitetur. Sexus non prohibet, quo minùs possit fieri subinfeudatio, fœmina enim rectè potest investiri. *c. un. §. 2. de successione Feudi. 1. F. 8. c. un. de eo qui sibi & hered. masc. & fœm. 2. F. 17.* si autem investitur, tunc etiam licitè utitur jure Vasalli; quod est, ut subinfeudationem exercere possit: Nec etiã cõditio hominis; nam & servus potest investiri. *c. un. §. personam. 2. F. 3.* per quem, quia feudum feudiq; actionem dominus adquirit, utiq; vel dominus, vel per eum servus subinfeudare poterit. Insuper non interest, utrum pater aut filius familias sit, nobilis aut ignobilis vel etiam rusticus. Hi enim uti feuda recipientes Vasalli audiunt; ita & jure suo utuntur vasallitico. Ætatis verò ratione, licet Vasalli efficiantur per feudi concessionem pupillus, minor, nõ tamen subinfeudare posse videntur; cùm rerum suarum non habeant liberam administrationem, nisi cùm per grandiorem ætatem habiliores fiant, vel per alios ipsis præpositos eam expediant, si modò commodo pupilli cedat ista subinfeudatio, ut omnia ex fide. *l. 60. §. 4. vers. quæsitum. mandati.* & ex negotio. *l. 9. §. 4. de adquir. rerum dominio.* agantur. Quod & idem Procuratori incumbit; licet enim per subinfeudationem non alienet, tamen omnia ex re & ratione domini trutinabit, qui plenè quidem, sed quatenus omnia ex fide agantur, mandâsse censetur. *d. l. 60. §. 4. mandati vel contra.* Quoad qualitatem, licet furiosus, prodigus, infeudari possit, non tamen subinfeudare poterit, nisi cum cœperit sanæ mentis esse, vel dilucida intervalla admittat furor, aut bonæ frugis fiat.

XXIV. Ob mutuam relatorum naturam, dicendum & de his personis, quæ possunt subinfeudari. Et hos omnes ad subinfeudationem admiserim, qui ad infeudandum idonei putantur, modò non prohibeantur; ceu quidem

pro-

prohibentur, qui ætatis & mentis imbecillitate laborant, ut pupillus, infans, furiosus, prodigus, qui tamen, si quid non possunt per se, utiq; poterunt per suos tutores & curatores. Cæterùm fœmina, vel rusticus etiã rectè subinfeudabuntur, eò quod feudi capaces, item mutus, qui licet loqui non valeat, tamen potest domino suo consilio adesse, *arg. l. 43. de Procuratoribus.* & nutu significare. Surdus quoq;, qui licet non audiat, tamen si quid cognoverit domino adversi imminere, literis vel alio modo aperiet *d. l. 43.* Cœcus etiam, qui etsi non videat, aliis tamen virtutibus, negotio feudali convenientibus præditus esse potest: neq; enim semper corporis valetudo, sed mentis & consilii integritas quandoq; magè spectatur. *arg. l. 6. de Judiciis.* Quin etiam etsi aliquos minùs idoneos obeundis servitiis reperias, si tamen dominus gratiam iis fieri per Vasallum permittat, omninò rectè subinfeudari poterunt.

XXV. Restat, ut etiam de *fine* & *effectibus* subinfeudationis agamus, videndes etiam, quidnam possessionis & dominii per eam ad subinfeudatum transferatur, quidq; apud subinfeudantem remaneat. Quod possessionem attinet, sanè illam corporalem rei Feudalis possessionem subinfeudanti tribuere non possumus, sed illa transit ad subinfeudatum: civilis tamen remanet apud illum feudi possessio, nempe illa, quam non de re, sed de ipso jure intellectam volumus, cujus quasi possessio ad ipsum pertinet; siquidem etiam juris sive rei incorporalis quasi possessio datur *l. fin. 4. ff. uti possidetis. l. 23. §. 2. ff. ex quibus caus. maj. 25. ann. restit.* Quod dominium concernit, dicendum, quòd non omne dominium & jus feudi in subinfeudatum transferatur: retinet enim subinfeudans aliquod, utile tamen magis & fictum, quàm naturale & verum, nomine magis, perceptionis commoditatum expers, quàm reipsa, uti loquitur *Vultejus d. l. 1. c. 10. n. 84.* quod quandam quasi feudi imaginem apellat *Bal.* reliquias dominii utilis. *Clarus §. feudum. q. 32. n. 6.* dominii vestigia *Rosenth. c. 9. concl. 47. n. 2. & 3.* Quæ vestigia vel inde patere possunt, quòd subinfeudans, vi prioris obligationis, domino suo adhuc obligatus maneat.

insuperq; alium sibi etiam obstrictum vasallum habeat, à quo recognoscitur fidelitasq; ipsi juratur. *Vult. d. l.* Atq; hoc tradunt Dd. communiter. *Hartm. Pistor. lib. 2. q. 45. n. 22.* & manifestum fit *ex c. un. § 2. vers. illud 2. F. 55.* ibi; & vasallus vasalli dominum domini sui offenderit. Ubi vasallus subinvestiens appellatur vasallus domini sui, & iterùm dominus vasalli sui; quod inconveniens non est propter diversas relationes & diversos ad duas personas habitos respectus. *Pistor. d. l.* & rem omnem dilucidè proponit *Rosent. dict. concl. 47. per tot.* Unde in Jure Saxon. dicitur der vnter Herr. Lehnrecht *cap. 25. pr. ibiq; Glos. n. 4.*

XXVI. Introducta porrò est subinfeudatio in gratiam Domini, Vasalli & Subvasalli. In domini; quia ipsi meliùs consulitur servitiis à subvasallo licet non directò, tamen in subsidium præstandis, principaliter enim ab immediato suo, non à superiore & mediato ad serviendum vasallus compellitur. *Rosent. c. 8. concl. 10. n. 3. & c. 9. concl. 47. n. 1.* Potest tamen ille dominus superior suum requirere vasallum, & hic iterùm subvasallum, & cum auxilio subvasalli servitia domino præstare; atq; hoc est, quod dicitur, eum præstare servitia domino antiquiori in subsidium, nec cogi ab ipso subvasallum. *Schrad. cum ibi alleg. p. 6. c. 6. n. 58. 59. 60.* adducens *c. un. §. fin. de Allodiis 2. F. 54.* Unde etiam infertur, ut si dominus mediatus & immediatus simul atq; semel bellagerant, sive invicem, sive contra alios; quòd tunc subvasallus domino suo immediato servitia præstare debeat; tum quia immediatus mediato potius jus in subvasallo habet, tum quia illius respectu vasallus dicitur. Et quoties circa idem duo incompatibilia concurrunt, id quod potius est alteri præfertur. *arg. l. 10. de statu hominum l. 3. in pr. de Tutelis.* Unde hoc casu contingente, subvasallus ab antiquiore domino feudo privandus non erit. *c. un. §. illud. 2. F. 55.* cùm ex officio suo pœnam nemo mereatur. Hoc tamen sciendum, prædicta ita vera esse, nisi dominus mediatus feudi, sit dominus universalis territorii illius, quod subvasallus incolit; tunc enim si pro patriâ atq; publica causâ contra immediatum bellum geratur, tunc subvasallus non imme-

diato,

diato, sed mediato servitia præstabit: plus enim patriæ quam domino debemus. *arg. l. 35. de relig. & sumt. fun. Schrad. d. l. n. 58. 59. & 60.*

XXVII. In gratiam Vasalli fit subinfeudatio, quòd ille tanquam dominus ex suo feudo alium vasallum, quem sibi obligatum ad servitia vasallitica tenet, solus habeat, nec is fiat etiam vasallus domini superioris; & in hoc dubio, an vasallus mei vasalli sit meus vasallus, multos negativè concludere, dicit *Schrad. p. 8. c. 2. n. 25.* Sed fortè res tota distingvendo & subdistingvendo decidi poterit: aut enim vasallus vasalli mei, non de feudo, quòd ille à me possidet est investitus, sed de re vasalli mei propria, & tunc nullo modo vasallus meus censebitur; aut à vasallo meo, de feudo etiam meo investitus est, & tunc vasallus quidem meus non est quoad personales obligationes, ut sunt juramentum sive promissio fidelitatis & similia; hæc enim tantùm immediato domino præstantur, siquidem ab illo, nō etiam à superiore investituram accipit, & cum eo contrahendo obligatur; item jurisdictio feudalis, solus enim immediatus dominus in subvasallum ejusq; subditos feudales jus dicit, uti tradunt *Dd. Rosent. de feud. c. 9. concl. 32. n. 6.* quò confert, quod ratione instantiarum etiam in feudis gradatim proximus quisq; adeundus sit judex. *idem c. 12. concl. 20. n. 3. & 4.* donec ad judicem supremum & in Imperio ad Imperatorem aut Cameram deveniatur. Quoad alia autem, quæ magis feudum ipsum, quàm personam prioris vasalli respiciunt, secundariò quasi vasallus meus censebitur, quod ex eo patet, quia si superiorem offenderit, feudo suo exuitur, idq; ad immediatum revertitur. *c. un §. illud 2. F. 55.* Deinde etiam, quia vasallus de feudo suo alium non potest subinvestire, nisi qui ejusdem est qualitatis. *d. §. similiter. 2. F. 55.* patet hinc, quòd etiam in subvasallum domino priori jus dominicum quodammodo competat; quid enim aliàs ipsius interesset, utrum ejusdem vel diversæ qualitatis sit subinvestitus?

XXVIII Respectu subvasalli *effectus* subinfeudationis est, quod ille iterùm alium subinfeudare & sic deinceps

possit.

possit, uti supra dictũ *ex §. similiter de lege Corradi.* Item quòd & alienare possit, certo tamen præsupposito consensu. Quis autem & cujus is certus consensus esse debeat, incertum quodammodo esse videtur & dubitatur utrum sufficiat superioris mediati consensus? an immediati inferioris Domini? an utriusq; desiderari debeat? Habet una quæq; suas & rationes & authoritates non contemnendas, uti videre est apud *Hartm. Pist. lib. 2. q. 45. à num. 1. ad. 12. Fachin. lib. 7. contr.. c. 53.* apponentes distinctionem inter feuda quaternata, & quæ de tabula dicuntur: feuda quaternata, quæ à superiori Domino alicui vasallo simpliciter concessa possidentur & subinfeudantur, etiam consensum superioris Domini requirunt: hæc, quæ feudo concesso subjecta à subvasallis possidentur & aliis subinfeudari solent, requirunt consensum immediati inferioris tantùm. Vtut autem Dd. dissentiant variè, verior tamen videtur sententia requirentium utriusq; consensum: & superioris quidem; quia licet principaliter & primariò subvasallus sit sui Domini vasallus, secundariò tamen & per consequentiam etiam superioris est vasallus, uti patet *ex. c. un. §. illud quoq;. 2. F. 55.* ubi Dominus mediatus vocatur subvasalli Dominus major. 2. quemadmodum vasallus subinvestiens, si alienare velit feudum suum, ipsemet consensum Domini requirere tenetur; ita æq; subvasallus eum implorabit, cùm enim sibi ipsi alienandi potestatem vasallus præbere nequeat, quomodo eam solus subinfeudato concedere posset? *per. l. non potest. ff. de Reg. Juris.* 3. Subinfeudans consentiendo subvasallo alienanti subfeudum, ipsemet alienare censetur, quod tamen neutiquam fieri potest. Habet insuper iste Dominus superior directum Dominium, reiq; feudalis proprietatem, adeoq; præter insignem contemtum, ejus consensus relinqui nequit, cùm quod nostrum est, sine facto nostro alterius non fiat. *l. 11. ff. de R. J.* Vltimò etiam ratio, quæ vasallum ab alienandi arcet licentia, militat quoq; in subvasallo, quæ est, quòd alienato feudo & jure utendi fruendi penitus amisso, debita servitia superiori ampliùs præstari non possint, subsidiariè.

XXIX. Subinfeudantis etiam consensum requirimus ad alie-

alienationem subfeudi, quia subvasallus omnē jus suum à subinfeudante habet; unde etiam est, ut si delinquat, feudum nō ad superiorem, sed ad subinfeudantem devolvatur *d. c. un. §. illud. 2. F. 55.* 2 Quemadmodum etiam ipsi vasallo primo licitum non est, citra voluntatem Domini sui alium ipsi vasallum obtrudere; ita nec subvasallo hoc integrum erit: habet enim sese subvasallus ad Dominum immediatum, sicut se habet immediatus ad mediatum. 3. Quin & propter jus, quod in feudo retinet, ejus consensus non potest præteriri, nec solo Domini consensu feudum sine voluntate vasalli ad alium transferri, ut est in *d. c. un. §. præterea in fin. 2. F. 55.* 4. Imò & laudemium solvitur ipsi à subvasallo alienante, *Menoch. cum aliis cons. 226. n. 166.* quod sanè consensum ejus, cui solvitur præsupponit.

XXX. Ex his optimè procedere videtur, utriusq; interesse suum adhiberi consensum, superioris; ne feudum suum alienationibus deminuatur: inferioris; ne illi invito vasallus obtrudatur. *2. F. 12. Pistor. d. q. n. 12.* & hinc meritò sibi locum vendicat, quod utrumq; tangit, ab utroq; debet approbari *l. ult. C. de authoritate præst. c. quod omnes. de R. J. in 6to.* quia in contractu omnium illorum consensus requiritur, quibus præjudicatur. *arg. l. 11. de servit. prædior. rustic. l. 8. de aqua & aqua pluv. arcenda.* Atq; hæc sententia magnorum stipata est virorum authoritatibus, eamq; primus protulisse dicitur *Jacob de Ardizo in sum. feud. c. 103. vers. numquid sufficiat consensus majoris. Andreas de Isernia in d. c. Imperialem. col. 4. n. 9. vers. veriùs putarem.* Quos seqvuntur *Matth. de Afflictis ibid. n. 45. & 46.* & *Sonsbeccius p. 12. n. 91.* eamq; magis receptam, dicit *Menoch. Cons. 226. n. 172.* inquiens *n. 188.* si hodiè numerentur Dd. authoritates, multò plures esse, quæ affirment, consensum utriusq; requiri, quàm contrarias. Hinc & *Vultejus d. l. 1. c. 10. n. 63.* tutius esse, ut hoc fiat, suadet; eleganter explicans, quomodo causam subvasallus habeat à Domino immediato proximo, causamq; illam iterùm antecedat rei origo, quæ est à Domino superiore. Dicit etiam hanc veriorem. *Schrad. p. 8. c. 2. n. 26.* existimans, alienationibus feudorum, quæ simpliciter vasallo possidenda con-

cessa sunt, adhoc, ut in vita subinfeudantis valeant, non necessarium esse consensum superioris, sed solummodo inferioris. *d. q. 45. n. 16. usq; ad 22.*

XXXI. Limitatur autem hæc sententia requirentis utriusq; consensum, si Dominus superior tale feudum concesserit cui iterum alii vasalli subjecti sunt, tunc enim non solùm vasallo conceditur utile dominium, respectu proprii feudi, sed etiam quoddam quasi directum dominium in reliquos vasallos illi feudo subjectos: Quam in rem præter rationes, experientiam adducit. *Pistoris d. q. n. 15.* quotidiè enim (inquiens) videmus non dominum superiorem, sed tantummodo immediatum hoc casu in alienationibus requiri. Nec existimandum, Vasallum Electoris volentem alienare feudum, quod ab Electore tenet præter consensum Electoris, etiam adhuc Imperatoris, à quo Elector suas provincias tenet, impetrandum esse; grave enim hoc foret subvasallo, & Imperatori molestum, dicitq;. *Rosenth. c. 9. concl. 32. n. 11. & 16.* inauditum esse, quòd Vasalli Regum, Electorum, Principum, Comitum & Baronum, pro alienandis feudis suis, tanquam subfeudis, à Regnis, Ducatibus &c. dependentibus, Imperatorem aut alium dominum primùm unquam requisiverint.

XXXII. Deinde etiam limitatur; Si vasallo per investituræ pactum data sit potestas à superiore domino alienandi feudum illud, quod subinfeudavit, & in subinvestitura illud vasallo non est permissum; Nam & tunc rectè poterit dominus immediatus solus subvasallo subfeudum alienaturo consensum dare. *Schrad. p. 8. c. 2. n. 26. cum ibi alleg.* quòd etiam patet ex. *c. un. de feudo non habente propriam feudi naturam. 2. F. 48.* item limitatur quando superior abest, longoq; terrarum spacio dissitus, brevi reversurus non est. *Schrad. d. l.* Cui & illa subjungi potest limitatio, si ex consuetudine loci solius proximi domini consensus sufficere soleat. *Rosenth. c. 9. concl. 32. in f. in addit. lit. R.*

XXXIII. De consensu autem, quem regulariter in alienatione subfeudi requirimus, notandum adhuc quomodo, & quando ille debeat interponi. Est autem ille vel genera-

neralis vel specialis; ille quando potestas alienandi simpliciter conceditur; hic quando ea certis limitibus coangustatur; puta certo loco, certis personis, vel certis alienandi speciebus: uterq; est vel expressus vel tacitus; quoad expressum non puto dubitari, quin eo adhibito, alienatio, cæteris paribus, rectè fiat. De tacito verò controvertitur, quem tamen contrariis non obstantibus etiam sufficere posse, putarem cum *Borch. de feudis. c. 8. n. 72. in fin.* qui crebriori interpretum calculo receptum dicit, dominum feudi etiam tacitè vasallo feudum alienanti, consentire posse; plures in hanc sententiam adducens. Qualis verò ille tacitus consensus esse debeat, iterum dubitatur? quidam enim ad eum requirunt præsentiam ejus, cujus consensus requiritur *Vultejus d. l. 1. c. 10. n. 64. cum aliis adductis.* verum contrarium placet *Borch. d. c. 8. n. 73.* taciturnitatem cum scientiâ sufficere autumanti addit tamen Vultejus, præsentiam desiderari, nisi aliud quid sit, ex quo consensus tacitus colligi possit, uti sunt conjecturæ; si de alienatione ad dominum literæ essent scriptæ, quibus acceptis tacuisset; si tempore scientiæ alienationis factæ in adgnatum remotiorem, annum, in extraneum verò, triginta labi passus sit; si vasallus alienando domini conditionem meliorem fecerit, uti summus voluit feudista, *Andreas de Isernia* quem adducit *Borch. d. c. 8. n. 77.* dissentiens tamen ab eo *sub n. 78.* item etiam si alienationem factam sigillo suo confirmet dominus *Vult. d. l. Wesenb. c. 8. n. 21.* quam tamen consensus speciem putarem esse expressam.

XXXIV. Quando verò & quo tempore consensus adhibeatur non multum interest, potest enim ante alienationem, in ipso alienationis actu, & post eam rectè accommodari, hinc ratihibitio ejus, quod circa alienationem factum est sufficit. Quæ sententia hinc inde dicitur communis, magis communis, crebrior & verior, extra pugnam, usu observata, uti recenset *Vultejus d. l. n. 65. §. cæterum.* addens quoq; dissentientes. Et hoc obtinet, ut licet vasallus moriatur tamen alienatio facta ab ipso, à domino rati haberi adhuc possit *Rosenth. c. 9. concl. 30.*

XXXV. Nunc quoq; necesse est ut videamus quomodo subfeudum iterùm *amittatur*, & ad quem amissum revertatur. Ubi breviter iterùm notandum; subfeudum sortiri ac retinere naturam feudi sui principalis, adeoq; iisdem ex causis amitti quibus feudum ipsum amitti solet; potest autem huic amissioni causam dare æq; Vasallus atq; Subvasallus. Vasallus, quando suprema mortalitatis fata patitur, vel aliter in dominum ita quid vel committendo vel omittendo delinquit, ut jus suum solvatur, & tunc feudum ad Dominum penitùs & plenè revertitur, ut nullo jure adversùs eum se tueri possit vasallus *c. un. §. 6. si de investitura feudi controversia fiat. c. un. pr. vers. rursus si fidelis, quibus modis feudum amittatur. c. un. pr. vers. etsi clientulus. de alienat feudi ibiq; Gottofr. in notis lit. f. c. un. in fine apud quem vel quos controv. feudi defin.* adeoq; non cogetur dominus, eum, qui ante subvasallus erat, jam pro vasallo habere; exercet enim vires juris sui vasallus pro tempore vitæ tantùm. *Schrad. p. 8. c. 2. n. 22.* Hocq; de natura juris, quod penes vasallum est, dicit esse *Pistor. lib. 2. q. 44. n. 14.* ut eo defuncto penitùs expiret quoq; jus, ut nihil quicquam possit contrahendo disponere & statuere, quo ipsum dominum obliget; resoluto autem jure datoris resolvitur & jus acceptoris *l. 31. de pign. & hypoth. l. 4. §. 3. de in diem addict. l. 9. §. 1. locati.* præterea etiam alius, quàm quem voluerit, obtrudendus domino non est vasallus. *Pist. d. l. n. 12.* Cæterùm sententia hæcce quibusdam stare non posse videtur propter textum. *c. un. in fine pr. qualiter olim poterat feudum alien.* qui clarissimè definit, subfeudationem adeò firmam esse, ut dominus etiam invitus eam validam servare cogatur, licet jus vasalli quomodo resolutum sit, si æq; servire & feudum recognoscere subvasallus velit. Qui textus reducuntur in consonantiam variè; alii enim distingvunt, utrum subinfeudatus intra tempus annuum, scilicet cum mense, *1. F. 12.* petendæ investituræ, sua obtulerit sponte domino majori servitia, feudumq; recognoscere paratus fuerit; an verò hæc neglexerit. Alii dicunt referri *in c. un. 2. F. 9.* solummodo jus antiqvum, idq; constare ex rubrica Tituli, item ex verbis *licebat.*

bat, vendebat, non amittebat, proindeq; advertendos potiùs alios esse textus; quæ conciliatio Niellio *disp. feud. 7. th. 8. in pr. expl. cum ibi citatis*, adeò vera est, ut frustra multùm laborari dicat, in explicatione hujus textus, tanquam fundamenti communis opinionis. Aliud hac de re est judicium *Hartm. Pistoris d. q. 44. n. 20.* existimantis textum *c. un. 2. F. 9.* ita esse interpretandum, ut, si dominum non invitum neq; repugnantem recognoscere, eidemq; servire voluerit, tum quidem feudum retinere vasallum. Restringit insuper etiam textum hunc ad certum casum; nimirum eum loqui de amissione feudi per culpam vasalli facta, non verò de ea quæ per mortem fit. *d. q. 44. n. 26.* Quicquid tamen sit, tutius ipse priori inhærendum explicationi *sub finem hujus numeri* existimat. Alii ad interesse domini respiciendum putant, idq; eum docere necesse habere; sed veriùs videtur, voluntatem hic esse pro ratione, nec curandum an intersit realiter, sed duntaxat interesse voluntatis sufficere; cum in libero ipsius sit arbitrio vasallum habere, vel non habere. *Pistor. d. q. n. 13. allegans Andr. de Isern. Camerar. ad c. Imper. 2. F. 55.* ubi & restringit hanc conclusionem *n. 27.* ut locum non habeat in feudis, quæ à subvasallis possessa subinfeudari solita sunt, prout hoc jure Saxonico cautum reperitur *in cap. 25. princ. Lehnrecht.*

XXXVI. Subvasallus quando moritur vel delinquit, sive id fiat in dominum suum, sive in sui domini dominum, mediatum nimirum; utroq; modo subfeudum aperitur domino immediato, quia etiam propriè illius respectu vasallus est, & ad eum debere reverti à quo tenebat, vult *c. un. §. illud quoq; 2. F. 55.* Sanè si offendendo superiorem, ad ipsum etiam deberet reverti feudum, subvasalli in potestate foret, intervertere domino immediato subfeudum, contra *c. non debet, de Reg. Jur. in 6to.* & habet dominus superior sufficientem suæ injuriæ ultionem, dum feudum à subvasallo aufertur & immediato applicatur, licet id non ipse superior statim consequatur quando offensus est. Quamvis alii distingvant utrum dominus superior offendatur ex ingratitudine delicti, an verò cõtractus? hocq;

modo ad superiorem subfeudum reverti velint. *Schenck. liber Baro in Tautenburg in cap. Imp. §. illud. 2. F. 55. n. 1.*

XXXVII. Quemadmodum autem dominum non teneri diximus ad receptionem subvasalli, ita quoq; feudo paterno & antiquo ad agnatos devoluto, minimè devincti sunt illi ad subinfeudationis ratihabitionem; quia enim subvasallus jus suum à vasallo subinfeudatore suo habuit, meritò obtinet perempto jure subinfeudantis perimi quoq; jus subinfeudati, *per supra dicta.* Nec etiam in tali feudo valet quæcunq; alienatio facta per vasallum in præjudicium agnati. *c. un. de alien. feudi paterni. 2. F. 39.* quemadmodum in casu nostro hoc docuisse dicit. *Pistor. d. q. 44. n. 6.* Andream de Isernia. *c. 1. §. sed & res. col. 1. per quos fiat invest.* quod subinfeudatio non valeat nisi in vita infeudantis duntaxat, quodq; post ejus mortem proximus agnatus revocet eam jure proprio, quem sequuntur alii ibidem ab eodem citati.

XXXVIII. Limitatur tamen hæc sententia ut locum non habeat in feudo hereditario, in quo non ex providentia juris feudalis, sed ex dispositione juris communis jure hereditario succeditur, & in hoc heres factum defuncti præstare tenebitur. Declaratur etiam, ut procedat tantùm in subinfeudatione ipsius feudi quod vasallus ipse possidebat; secus verò in rebus feudo subjectis, quæ ab aliis possidentur & alioquin subinfeudari consueverunt, uti docet *Hartm. Pistor. d. q. 44. n. 6. med.* Addit & aliam declarationem *Kobl de subf. cap. 5. n. 13.* ut licet in feudo, quod ex pacto & providentia vocatur, defunctus adgnatis, ad quos devolvitur, præjudicare nequeat, tamen si ei heredes fiant, feudum subvasallo eos auferre non posse; Quam tamen stare non posse vel ideò arbitrarer, quòd heres præstet factum defuncti circa id, circa quod heres est; succedere autem jure suo proprio in feudo ex pacto & providentia, & heredem esse, diversa sunt, & quatenus heredes sumus, non quatenus extra hereditatem aliquid nobis obvenit, desiderio defuncti deferimus.

XXXIX. Quod si verò liberis masculis extantibus feudum ad eos, & non ad agnatos proximiores pertinere incipiat,

piat, num & illi tunc poterunt revocare feudum à subvasallo? Et quidem si feudum sit antiqvum, jus quæsitum non à patre præcisè, sed à reliquis avitis prædecessoribus per subinfeudationem parentis ipsis auferri nequit; sed revocabunt subfeudum illud licitè: vel etiam si sit novum in persona parentis subinfeudantis, attamen pro se suisq; liberis masculis datum & adquisitum, & tunc utiq;, utpote in ea investitura comprehensi & respectu quoq; ad eos habito, illud etiam feudum subvasallo possessori auferre poterunt, quod valdè probat *Vultejus lib. 1. c. 10. n. 84.* hoc enim in casu, non tàm ex persona patris sui, quàm ex suâ ipsius, heres omne jus, quod habet, metitur. In feudo tamen merè & simpliciter novo, ubi patri soli, tanquam primo adquirenti investitura facta, necesse erit tenere eos firmam investituram, quam pater fecit *c. un. §. item heres. de notis feudorum.* Maximè si pater de feudo suo ita aliquem subinfeudasset, ut etiam post mortem suam apud subvasallum remanere debeat, vel etiam in antiquo; modo tale sit feudum, quod aliàs subinfeudari solitum fuit. *d. cap. 25. in verbis* Lehnrecht. So hat dennoch. Idem etiam in feudo hereditario dicendum est circa filios, quod circa adgnatos obtinet: non enim in tali feudo succedunt ex jure quæsito proprio, sed ex provisione juris communis & hereditario; heres verò defuncti factum præstare tenetur, obligationesq; ad eum porriguntur & transmittuntur *l. 7. C. de liberali causa l. fin. C. de contrab. stipul.*

XL. *Vicina* nunc & *affinis* subinfeudationi, respectu juris vasallo competentis, est refutatio; uti enim illâ sine domini voluntate feudum in alium transfertur, ita & hâc irrequisito ejusdem consensu, jus feudi alteri licitè ceditur. *c. un. de vasallo qui contra Const. Lothar. Reg. benef. alien. 2. F. 38. c. un. de vasallo decrep. atat. qui feud. refut. filii invest. 2. F. 14.* De qua alibi plenius tractatur. Illud adhuc dubium est an subinfeudans, invito subvasallo suo, refutare possit feudum? quod negandum putarem, quia vasallo sine ejus culpa feudum auferri non debet, uti notum est ex *c. un. de*

feudo

modo ad superiorem subfeudum reverti velint. *Schenck. liber Baro in Tautenburg in cap. Imp. §. illud. 2. F. 55. n. 1.*

XXXVII. Quemadmodum autem dominum non teneri diximus ad receptionem subvasalli, ita quoq; feudo paterno & antiquo ad agnatos devoluto, minimè devincti sunt illi ad subinfeudationis ratihabitionem; quia enim subvasallus jus suum à vasallo subinfeudatore suo habuit, meritò obtinet perempto jure subinfeudantis perimi quoq; jus subinfeudati, *per supra dicta.* Nec etiam in tali feudo valet quæcunq; alienatio facta per vasallum in præjudicium agnati. *c. un. de alien. feudi paterni. 2. F. 39.* quemadmodum in casu nostro hoc docuisse dicit. *Pistor. d. q. 44. n. 6.* Andream de Isernia. *c. 1. §. sed & res. col. 1. per quos fiat invest.* quod subinfeudatio non valeat nisi in vita infeudantis duntaxat, quodq; post ejus mortem proximus agnatus revocet eam jure proprio, quem sequuntur alii ibidem ab eodem citati.

XXXVIII. Limitatur tamen hæc sententia ut locum non habeat in feudo hereditario, in quo non ex providentia juris feudalis, sed ex dispositione juris communis jure hereditario succeditur, & in hoc heres factum defuncti præstare tenebitur. Declaratur etiam, ut procedat tantùm in subinfeudatione ipsius feud i quod vasallus ipse possidebat; secus verò in rebus feudo subjectis, quæ ab aliis possidentur & alioquin subinfeudari consueverunt, uti docet *Hartm. Pistor. d. q. 44. n. 6. med.* Addit & aliam declarationem *Kobl de subf. cap. 5. n. 13.* ut licet in feudo, quod ex pacto & providentia vocatur, defunctus adgnatis, ad quos devolvitur, præjudicare nequeat, tamen si ei heredes fiant, feudum subvasallo eos auferre non posse; Quam tamen stare non posse vel ideò arbitrarer, quòd heres præstet factum defuncti circa id, circa quod heres est; succedere autem jure suo proprio in feudo ex pacto & providentia, & heredem esse, diversa sunt, & quatenus heredes sumus, non quatenus extra hereditatem aliquid nobis obvenit, desiderio defuncti deferimus.

XXXIX. Quod si verò liberis masculis extantibus feudum ad eos, & non ad agnatos proximiores pertinere incipiat,

piat, num & illi tunc poterunt revocare feudum à subvasallo? Et quidem si feudum sit antiqvum, jus quæsitum non à patre præcisè, sed à reliquis avitis prædecessoribus per subinfeudationem parentis ipsis auferri nequit; sed revocabunt subfeudum illud licitè: vel etiam si sit novum in persona parentis subinfeudantis, attamen pro se suisq; liberis masculis datum & adquisitum, & tunc utiq;, utpote in ea investitura comprehensi & respectu quoq; ad eos habito, illud etiam feudum subvasallo possessori auferre poterunt, quod valdè probat *Vultejus lib. 1. c. 10. n. 84.* hoc enim in casu, non tàm ex persona patris sui, quàm ex suâ ipsius, heres omne jus, quod habet, metitur. In feudo tamen merè & simpliciter novo, ubi patri soli, tanquam primo adquirenti investitura facta, necesse erit tenere eos firmam investituram, quàm pater fecit *c. un. §. item heres. de notis feudorum.* Maximè si pater de feudo suo ita aliquem subinfeudasset, ut etiam post mortem suam apud subvasallum remanere debeat, vel etiam in antiquo; modo tale sit feudum, quod aliàs subinfeudari solitum fuit. *d. cap. 25. in verbis* Lehnrecht. So hat dennoch. Idem etiam in feudo hereditario dicendum est circa filios, quod circa adgnatos obtinet: non enim in tali feudo succedunt ex jure quæsito proprio, sed ex provisione juris communis & hereditario; heres verò defuncti factum præstare tenetur, obligationesq; ad eum porriguntur & transmittuntur *l. 7. C. de liberali causa l. fin. C. de contrah. stipul.*

XL. *Vicina* nunc & *affinis* subinfeudationi, respectu juris vasallo competentis, est refutatio; uti enim illâ sine domini voluntate feudum in alium transfertur, ita & hâc irrequisito ejusdem consensu, jus feudi alteri licitè ceditur. *c. un. de vasallo qui contra Const. Lothar. Reg. benef. alien. 2. F. 38. c. un. de vasallo decrep. ætat. qui feud. refut. filii invest. 2. F. 14.* De qua alibi plenius tractatur. Illud adhuc dubium est an subinfeudans, invito subvasallo suo, refutare possit feudum? quod negandum putarem, quia vasallo sine ejus culpa feudum auferri non debet, uti notum est ex *c. un. de*

feudo

feudo sine culpa non amittendo 1. F. 21. nisi dominus superior aut alius, cui feudum refutatur, minùs coactus subvasallum debita servitia, post antegressam submissam recognitionem, præstantem, pro vasallo recipere velit, ut nullum habeat quod ipsi ex refutatione resultet damnum. vid. *Sonsbeccius in commentario in usus feudorum parte. 12. n. 124. Bocerus d. tract. 3. de modis amitt. feud. cap. 2. n. 162.* vel si sit feudum aliàs subinfeudari solitum, Lehnrecht *cap. 25. in pr. in verbis,* ob der unter-Herr sein Lehn auffgelassen hatte einem andern. Et tantùm de hac materia.

Gloria sit Patri, Nato sit gloria, sancto
Gloria Spiritui, gloria sit Triadi.

FINIS.

